



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ivlii Fatii S. J. Liber De Mortificatione Nostrarvm
Passionvm, Prauorumque affectuum**

Fazio, Giulio

Köln, 1604

De cura omni necessaria reiicienda, atque de rerum externarum
administratione. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60991)

abyſſalis charitatis ſuæ, ex qua cuncta creauit, humanam naturam aſſumpſit, formã cunctarum virtutum dedit, amarã mortem ſuſtinuit, vitam æternam parauit, & ſeipſum totum promiſit. Et hoc modo cogitationes commutabuntur in affectiones, & cognitio in amorem perfectum: quia amor operatur mortificationem naturæ, vitam ſpiritus, operationem ſuperiorum virium, influxumque in Deum, & ſeparationem ab omni creatura.

CAPVT VI.

De cura omni nõ neceſſaria reiſcienda, atque de rerum externarum adminiſtratione.

Sexta, eſt perfecta mortificatio exterioris curæ, quæ non eſt de iuſta neceſſitate propter ſpiritualem vtilitatem, vel propter obedientiam. Hic ſciri poteſt vera differentia actiuæ vitæ, quæ fideles ſeruos Dei efficit: & contemplatiuæ, quæ ſemiliares amicos Dei facit. Nam quidam in ſua conuerſione eligunt obedire Deo, ſanctæ eccleſiæ, & ſuis ſuperioribus: exercitantque ſe in virtutibus, in bonis moribus, in ſtatutorum & ordinationum diligenti obſeruatione, quærentes in omnibus honorem Dei, & nõ ſeipſos. Sed alio-tem perfectionem conſtituunt in exercitijs vitæ actiuæ, & in orationibus vocalibus,

DE MORTIFICAT. 227

bus, vel in recogitando peccata sua, mortem, iudicium aut etiā passionem domini, duntaxat ad compatiendum: peruenireque non valent ad cognoscendum exercitia veræ vitæ contemplatiuæ. Ratio est, quia in actiua vita magis ipsis complacet, & videtur eis magis meritoria esse: & hæc est causa, quare in cordibus eorum magis sunt depicta opera quæ faciunt, quā DEVS ipse, propter quem illa faciunt. Idcirco in corde diuisi sunt, distracti, & instabiles: quoniam passiones naturales adhuc viuunt in eis, quibus faciliter cōmouentur, quamdiu non perueniunt ad contemplatiuam vitam, quæ emori facit omnibus passionibus naturalibus, scilicet inordinatæ lætitiæ, tristitiæ, complacentiæ, vanæ gloriæ, impatientiæ, vanæ spei, inordinatæ verecundiæ, & similibus: propter quod etiam nō possunt peruenire ad internam hominem & quietē, nisi prius ex toto intrinsecus recollecti, & Deo totaliter vniti sint: quia tunc primum eis reuelantur internæ, familiares, occultæ, amabiles viæ Dei, loquiturque Iesus in anima eorum: *Tam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominum eum: sed dicā* *Ioan. 15.* *vos amicos, quia omnia quæcumque audiui à patre meo, nunc feci vobis. Igitur qui internam vitam habere cupit, necesse est, vt eam*

K 6 ferua-

*Vita inter
na quomo-
do acqui-
rasur.* feruenter desideret & petat à Deo, atque
ad eam studiosè se applicet: quia Domini
noster gratiam suam & opem (siue ad ope-
ra exteriora virtutum, siue ad interiorum
hominem & exercitia dilectionis) elargi-
tur, secundum quod vnusquisque ad hu-
iusmodi se disposuerit, suamque diligen-
tiam aut operam adhibuerit. Si ergo ho-
mo internus, & illuminatus Dei amicus
fieri vis, oportet vt cor tuum ad eò purifi-
ces, vt nihil citra Deum in eo quiescat: &
omnia exteriora opera & occupationes,
quas dictante ratione vel obedientia per-
ficies, absque multiplicitate & sollicitudi-
ne cordis agere discas, cum eleuato intel-
lectu atque affectu ad Deum: quia tametsi
labor qui in silentio fit, valdè laudetur: ta-
mè multiplicitas, sollicitudo & distractio
cordis reprobatur: quia in frigidant affe-
ctum amoris, exponuntq; hominem mul-
tis tentationibus & insidijs inimici, nara-
ra & sensualitas potentiores fiunt, atque
magis seipsas quærunt in oblectationibus,
in vanitatibus & voluptatibus, ex quibus
intellectus obfuscatur, spiritus insensibilis
efficitur, & omne spirituale exercitium in-
sapidum.

*Tentatio-
nes omnes
vincendi
modum.* Si igitur volueris vincere omnes tenta-
tiones diaboli, carnis & mundi, omnes fra-
gilitates ac imperfectiones tuipsum, om-
nesque.

DE MORTIFICAT. 229.

mnescq; naturales passiones, labora omni tempore gestare internum & eleuatum animum & desiderium in Deum, semper magis sequendo internum amoris exercitium, quam exteriora opera virtutum. Nā distractiua occupatio cordis, etiam in licitis sua consuetudine quandam superinducit animi distemperantiam, vel indispositionem & euagationem cordis, quæ amputari etiam orationis tempore nequeat: & etiam non sinit inferiores animæ vires peruenire ad aliquam quietam recollectionem sui. Ad istud autem nemo perfecte peruenire potest, nisi affectus suus liber sit ab omni re infra Deum existente, & adeo in Deum raptus, vt seipsum contemnere sciat in omnibus propter amorem Dei: quoniam purus amor facit spiritum purū, simplicem, & ab omnibus liberum, in tantum, vt sine labore semper se conuertere in Deum possit. Nam vbi amor, ibi est oculos memorię, & cordis affectus, ita vt tā paratum se inueniat ad suam introversionem, quam ad extroversionem.

De omni cordis amaritudine tollenda, per amoris diuini dulcedinem.

CAPVT VII.

Septima est perfecta mortificatio omnium amaritudinis cordis. Notandū, quod.

K 7